FALLACIS FORTUNÆ
ET
MORTALITATIS VIVUM EXEMPLUM.



MEMORIÆ S.

Adeste mortales,

Respicientis & despicientis Fortunæ prodigium obstupescite,

Ego 

CAROLUS DUX LOTHARINGIÆ,

Cæsarum Progenies, Regum Consanguineus, Principum Affinis,
Perfidus omnium necessarius
Infidus omnium mercenarius
Multis suppetias, nulli auxilium tuli.

Ducatum.

Quem mihi paterna successio obtulit,
Geminis simul Nuptiis auctum;

G A L L V S

Succeſſu belli abſtulit ;

Amico reddidit ; Fœdiſrago eripuit:
Magnum hoc damnum.

I B E R V S

Maximus Regum

Annuis ſtipendiis, & quotidiana indulgentia ſuo damno
penſavit.

Religionis Ludibrio

Regione exutus, omnium regionum exuvias
(feliciter an infeliciter dicam, ambigo:)
congeſſit.

Nunquam in diſcrimine, ſemper in pictura armatus;
Nunquam militibus niſi diſciplina largus,
Nunquam erga familiares niſi Sarcaſmis Liberalis.

Sic

Auro & Milite

Stipatus, nunc utroque orbatus.

Perduel-

Perduellionis accusatus, indefensus, reus,
Vivus hoc sepulcro haut pulcro
claudor:
Nunquam nisi morte liberandus.

Heu me miserum!

Anversa fortunam meam, aversam & eversam,
gaudes!

Nemo est, qui condoleat, quia omnes offendi:
Nemo est, qui succurrat, quia omnes fefelli:
Nemo est, qui misereatur, quia omnibus nocui.

Me vivente & sciente

Hereditatem meam adit ex asse, non scriptus heres,
cujus ego fretus amicitiâ
&
gratia abusus
Neque superiorem, neque parem
agnovi.
H E U!
Ex CROESO ditiss°
IRUS pauperrimus
documentum posteris exhibeo
NEMINEM ANTE MORTEM ESSE BEATUM.

EPITAPHIUM.

Clauditur hoc tumulo vivus LOTHARINGIUS *Heros.*
Quemque Midæ morbus sustulit aurivorus.
Occidit infelix, ingesto hydropicus auro,
Deserit ægrotum spes, medicina mali.
Detumuit tumidus, superest & vita vomenda
Impatiens patiens viscera dilaniat
Nil juvat, ure, seca; membro non mors redimenda:
Fas est, qui multos perdidit, ut pereat.
Verba dedit cunctis; dat hæc Fortuna sepulto:

ISMAEL INFELIX
HOC TEGITUR TUMULO.
QUI CONTRA CUNCTOS DEXTRA CONTENDIT AVARA,
CUNCTORUM NUNC ETIAM DEXTRA INIMICA FERIT.
IMPIUS, INVISUS, QUI VIXIT, MORTUUS HEIC NUNC
CUM PLAUSU
VIVUS CONTUMULATUR
AMEN.